

J. S. [...] observationum philologicarum in N.T. : specimem primum : in Matth, V.13. & Iac, III.6.

Autor(en): **J.S.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1747)**

Heft 8

PDF erstellt am: **16.08.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394612>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

J. S. *V. D. M.*

Observationum philologicarum in N. T.

Specimen primum.

in Matth. V. 13. & Jac. III. 6.

I.

QUum multa sunt, propter quæ studium Linguæ græcæ & Antiquitatum literarum cultoribus se commendat, tum id præcipuum duco, quod ope hujus in reconditos Sacri Codicis sensus, altius hoc, quo vivimus, quam superioribus sæculis penetratum est. Ex vero enim prædicare licet, Studium hocce eximiam lucem ad interpretanda Oracula divina novi præcipue Fœderis asferre, atque ejusmodi suppeditare momenta, quæ prægnantes Sacrorum Voluminum Sensus illustrant & curatius demonstrant. Istud quoties animo cogito, non possum non laudare sapiens consilium & imitandam industriam Virorum de Republica literaria optime meritorem, qui certatim id sibi negotii datum credere, ut luculentis exemplis usum Linguæ Græcæ & Antiquitatum in Sacris Literis evincant. Dum autem horum Musas veneror, nonnunquam tamen & meis, sint quamvis pauperes, indulgeo, & aliquem Oraculorum divinorum locum ab Interpretibus vel neglectum vel minus enodatum tentare soleo. Habes igitur, B. L. specimen observationum quarundam in varia Novi Fœderis loca, quod, qualecunque sit, æqui bonique consulas, rogo.

II. Prima

II.

Prima animadversionum mearum esto in vulgatissimo illud Salvatoris dictum, Matth. V. 13. Ὑμεῖς ἐσε τὸ ἅλας τῆς γῆς, ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἀλιωθήσεται; εἰς ὅθεν ἰσχύει ἔτι, εἰ μὴ βληθῆναι ἔξω, καὶ κλιπαρεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων: quod dictum iudice Celeberrimo Altmanno in hisce rebus versatissimo inter δυσνόητα N. T. merito referatur. Obs. phil. T. I. p. 96. Non mei autem est instituti varias Philologorum sententias circa hunc locum recensere; Adeat, cui lubet, Wolfium in Curis Phil. p. 87. De nexu vero & scopo hujus concionis, ad Apostolos cæterosque Judæos Christum sequentes habitæ, ego ita sentio; Salvatorem Mediatoris munus jam obiturum apprime utile imo necessarium duxisse, ut Discipulorum turbæque ab ore ipsius pendentis præconceptis opinionibus, quas sibi de regno Messiaë fingebant, e medio sublatis, ipsos de vera hujus regni ratione & de characteribus ejusdem subditorum instruat. Judæi quippe, quod in vulgus notum est, Romanorum dominationem maxime abhorrentes, capti præterea amore cultus carnalis & terræ Cananææ, regnum terrestre, potentiam secularem, honores mundanos, otium pingue & lætum, ut verbo dicam, talem Messiam præstolabantur, qui ipsos a Jugo inimicorum liberaturus, & in pristinum gloriæ, opum, lætitiæ statum sit restitutus. Eandem sententiam quoque fovebant discipuli. Inde frequens eorum quæstio, quis in futuro Messiaë regno primarius sit futurus, inde spes ipsorum, ὅτι αὐτὸς ὁ μέλλων λυτρωθεῖαι τὸν Ἰσραὴλ Luc. 24. 21. cum qua λυτρώσει mors Salvatoris ipsis pugnare videbatur.

III. Sed

III.

Sed longe aliam Regni hujus rationem esse docet optimus Servator. Si de affluentibus divitiarum & bonorum copia somniabant Judæi, si ob imperium, quo cæteras gentes sub Messia coërcituri erant, tollebant animos; paupertatem animique demissionem, (utrumque enim significatum hic jungimus,) ipsis commendat, eosque qui pauperes sint, humiliterque de se sentiant, solos hujus regni participes fore ostendit, *μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, ὅτι αὐτῶν ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν ἔργων.* v. 3. Si nescio quas lætitiæ carnalis blanditias & gaudia animo præcipiebant; tristitiam & luctum a subditis suis requirit Salvator, *μακάριοι οἱ πενθεῦντες &c.* v. 4. Si imperium vi, ferro, armis dilatandum sibi fingebant; mansuetudinem ipsis præscribit, *μακάριοι οἱ πραεῖς &c.* hisque hæreditatem terræ, id est, regni sui promittit v. 5. Si convivia lauta & opipara, si ciborum potusque delicias in aula Regis Messiæ expectabant, si justitiam carnalem per observationem legis affectabant; eos beatos prædicat, qui fame & siti, id est, flagrantissimo desiderio in justitiam per ipsum parandam ferrentur, *μακάριοι οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην &c.* v. 6. Si vindictam & crudelitatem in hostes, quorum jugo subjecti erant, meditabantur; misericordiam, charitatem & pacem ipsis commendat Salvator, *μακάριοι οἱ ἐλεήμονες καὶ εἰρηνόποιοι &c.* v. 7. 9. Si impuras animi cordisque cupiditates, ad quas nimium proni erant Judæi, cum omnia ex voto succedebant, sub regno Messiæ terreno expleturi erant; puritatem cordis a subditis hujus regni præcipue requiri demonstrat, *μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ. &c.*

v. 8.

v. 8. Si plenam denique ab omnibus inimicis liberationem sperantes exultabant; eos omnis generis persecutiones ab hostibus regni sui passuros esse prædicit, in hisque vere ipsis gloriandum & lætandum esse. v. 10. 11. & duodecimo, qui Discipulos propius spectare mihi videtur, *μακάριοι οἱ δεδιωγμένοι ἕνεκεν δικαιοσύνης, ὅτι αὐτῶν ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν ἑβραίων.* &c.

IV.

Ut vero Apostoli veri regni spiritualis subditi & præcones sint, eos paucis quidem, sed prægnantibus & gravissimis, verbis ad omne officii munus instituit Salvator, sanctitatem ipsis præscribens, quod præcipuum Legati Christi est officium, eosque, ut totam terram jam lumine Evangelii collustrandam ad sanctitatem adducant, graphice exhortans v. 13. *ὁμεῖς ἐσε τὸ ἅλας τῆς γῆς* &c. Ita jam omnia in hoc nexu cohærere mihi videntur, ita scopo Salvatoris & animo populi ipsum audientis sunt aptissima, ita luce quadam & ordine se commendant omnia, ut confidenter affirmare aulam, aut hunc nexum verum esse & genuinum, aut nullum. Si igitur probaverim, Solum apud Veteres, tum in S. S. sanctitatem denotare, aut multum fallor, aut nil hic difficultatis remanebit.

V.

Illam autem docendi rationem, quæ symbolis continetur, Christo maxime familiarem fuisse, Evangelistarum scripta passim testantur. Hic enim instituendi modus apud Orientales fere omnes, ut antiquissimus, excolebatur: Imprimis vero
Judæi

Judæi multiplices cum honore studioque complexi sunt. Hinc Salvator ingenio ipsorum se accommodans doctrinam suam plerumque symbolice proposuit, quæ symbola, quantum recti verique contineant, cum a forma ænigmatica liberantur, is facile detegat, qui ipsorum significationes & arcanos sensus accurate rimatur. Ad sanctitatem igitur discipulos exhortaturus non aptiori symbolo, non notiori, potuisset uti quam Salis, quod apud veteres Sanctitatis emblemata fuisse, monstrabo.

VI.

Salis naturam egregie describit Plinius Hist. Nat. 31. 9. *Vita humana, inquit, sine sale nequit degere, & necessarium elementum est: eius natura per se est ignea & inimica ignibus, fugiens eos, omnia erodens, corpora vero defuncta a putrescendo vindicans, ut durent ita per sæcula, in medendo vero adurens, mordens, & repurgans.* Plutarchus problem. §. 10. Salis usum commendat, quod sit τῶν ἄλλων ὀψῶν ὀψον, *omnium obsoniorum suavissimum & reliquorum quoddam condimentum.* Quam bene hæc omnia virtuti & sanctitati convenient, facile quidem esset demonstratu, sed alia argumenta, præter hæc, quæ ex analogia quadam desumpta sunt, mihi afferenda videntur.

VII.

Notum est præceptum Pythagoræ, quem omnem cognitionem symbolicam ex Oriente, Judæa præsertim, hausisse, jam pridem observarunt Eruditi: *Mensæ Sal imponas πρὸς ὑπόμνησιν τῆς δικαίας,* addita hac ratione, *ὅτι γὰρ ἅλιος πάντων σώζει, omnia*

Sal conservat, corruptionemque arcet; sic justitia cuncta conservat, eaque absente omnia corrupta sunt. Pythagoram vero per justitiam, cujus symbolum sal esse voluit, nil aliud quam sanctitatem intellexisse, egregie ostendit Hierocles in commentario in versus hosce aureos Pythagoræ.

Ἔῃσα δικαιοσύνην ἀσκεῖν ἔργῳ τε λόγῳ τε,
Ἄλλὰ γινώσκει μὲν ὡς θανέειν πέπρωται ἅπασιν.

Deinde justitiam exerce & verbis & factis,
Et noris, quod omnibus fato destinatum sit mori.

Ita autem Hierocles: Δικαιοσύνης δὲ περὶ πάσας ὁμῶς δυνάμεις τελειοτάτης ἔσης, καὶ διὰ πασῶν ἀρεῶν περιελκτικῆς τῶν ἄλλων, ὡς ὁμοίων μερῶν. Justitia denique, in qua simul habentur facultates omnes, tanquam perfectissima, cæterasque virtutes, uti partes proprias in se continens, & paulo post καὶ ἔτιως ἀρχὴ μὲν τῶν ἀρεῶν ἢ φρόνησις εὐρισκεῖται, πέρας δὲ ἢ δικαιοσύνη. Atque ita fuerit virtutum quidem initium prudentia, finis autem justitia. καὶ τὴν δικαιοσύνην τὰς ἀλογίας ἀνέλεσθαι, καὶ ταύτη κοσμεῖσθαι τὸν θνητὸν ἡμῶν ἀνθρώπον, ἐκ περισσίας δὲ ἐνέσης ἀρεῆς τῷ ἀθανάτῳ ἀνθρώπῳ. Προηγμένως γὰρ αἱ ἀρεαὶ ἀπὸ νῦ ἐῖς ψυχὴν λογικὴν ἐλάμπουσι, καὶ ταύτης εἰσὶν ὁμοῖον εἶδος, καὶ τελειότης, καὶ εὐζωία, quæ vero Justitia nominatur, cuncta vitia aufert, & illa mortalis noster homo, sed virtutis ubertate, quæ inest homini immortalis, exornatur. Primum a Spiritu divino in animum ratione præditum splendorem virtutes emittunt, hujusque sunt propria forma, & perfectio, vitæque felicitas. Δικαιοσύνης γὰρ ψυχὴν φρενέσης τὰ προσήκουσα ἀν πράττομεν καὶ περὶ Θεῶς, καὶ περὶ ἀνθρώπου, καὶ περὶ ἡμᾶς αὐτῶς. Si enim animum justitia tueatur, debita præstabimus erga Deos.

Deos, erga homines, & erga nosmet ipsos. Sic etiam Theognis.

Ἡ δὲ δικαιοσύνη συλλήβδην πᾶσ' ἀρετῆν ἔστιν.

Justitia autem complexus omnium virtutum est.

Brukerus in Hist. phil. p. 1069. T. 1. *Secundum Pythagoram justitia vitia cuncta & virtutes animi inter se discernit, & animi partium compagis quædam est constitutio, virtusque perfecta & suprema.* Quid vero hic omnium virtutum complexus, nisi id, quod tum in profanis, tum in sacris Scriptoribus Sanctitas appellatur? Ergo juxta Pythagoreos Sal sanctitatis emblemata & symbolum fuisse patet: hinc everfionem salinorum omen vitii alicujus violationisque sanctitatis & justitiæ putabant, probante Dacierio in Vita Pythagoræ.

VIII.

Plato Sal θεοφιλέστατον vocat in Timæo. Quum autem alibi passim sanctitatem & virtutem Deo carissimam esse, per eamque hominem ad similitudinem quandam Dei accedere affirmet, nullus hic dubitationi locus relinquatur, quin Sal cum Pythagora, quem in omnibus secutus est, pro emblemate Sanctitatis habuerit. *Consistit vero, inquit Brukerus, juxta Platonem illa similitudo Dei, in justitia & sanctitate, quod vocat Deum sequi.* T. 1. 724. Sic etiam Salis cum virtute quandam Similitudinem ostendit Cicero de fin. bonor. & malor. §. CXXXIII.

IX.

Præterea mensam apud Veteres Salis appositione sanctificatam & consecratam fuisse, apud om-

nes in confesso est. Vulgatum illud Arnobii:
Mensas vestras salinorum appositu sacras facitis. Idem
 observat Eufthatius ad Hom. II. IX. 214.

Πάσσε δ' ἄλως θείον.

Inspersit autem salem sacrum.

Prolixius autem probat Pitiscus in Lexico. p. 217. &
 Stukius Ant. conv. I. 30. hinc Salinum inter vasa
 sacra apud Livium. *Haerens in maxima difficultate
 populus Romanus aurum & argentum in publicum om-
 nes conferre iussit, & quibusdam tantum licuit salinum
 Deorum causa habere.* Ita etiam mensa Sacerdo-
 tum in Sanctuario apud Hebræos Sale consecrata
 fuit teste Philone. L. III. de vita Mosis. Ἡ δὲ τρά-
 πεζα τίθειται πρὸς βορείους, ἐφ' ἧς ἄρτος καὶ ἄλς. *Men-
 sa autem posita est versus Septentrionem, super quam &
 panis & sal. quod etiam ex Exod. XXV. 29. col-
 ligere licet. vide Fort. Scacchum Myroth. P. 11.
 41.*

X.

Quemadmodum vero mensæ, sic etiam altaria,
 victimæ & sacrificia, ut Diis grata & accepta es-
 sent, sale consecrabantur. *Ejus maxime in Sacris
 intelligitur auctoritas, quando nulla conficiuntur sine mo-
 la salsa, ait Plinius Hist. N. 31. 7. Hinc Sinon fin-
 gens se aræ destinatum ita sacrificii apparatus de-
 scribit Æn. II.*

Jamque dies infanda aderat, mihi Sacra parari
 Et salsæ fruges.

ad quæ Servius: *Salsæ fruges, sal & far, quod di-
 citur mola salsa, qua & frons victimæ & foci asperge-
 bantur & cultri.* Sic Ovidius Fast:

Ante

Ante Deos homini quod conciliare valeret
Fas erat & puri lucida mica salis.

De hoc ritu prolixius disferentem vide Spencerum
L. III: dis. 2. cap. 2. Quid si dicam Urbes ex-
pugnatas & everfas victimarum adinstar ideo sale
conspersas fuisse, quia Diis quasi devovebantur
& consecrabantur. Moris enim erat apud Vete-
res loca Diis sacra inculta relinquere & sterilia,
hinc pomœria Urbium, quia Diis sancta erant,
aliaque hujusmodi loca inculta manebant.

XI.

Lege divina quoque Sacrificia Sale consecrata
fuisse legimus Lev. II. 13. Et ne præceptum hoc
vetustate vilesceret aut e memoria laberetur, Deus
illud repetitum dedit Ezech. XLIII:24. Unde Marci
IX. 49. *Πᾶσα θυσία ἀλὶ ἀλιθῆσαι.* *Omnis oblatio
sale salietur.* Nefas quippe ad Deum accedere, nisi
sanctus sis & purus, nefas ipsi quid offerre nisi
consecratum.

Compositum jus fasque animo, sanctosque re-
cessus

Mentis, & incoctum generoso pectus honesto
Hæc cedo admoveam templis, & farre, (id est
mola falsa)

litabo. *Persius.*

Hinc Homerus Sal & preces conjungit. Odyss. XI.
122. & XXIII. 270.

XII.

Fœdus salis, cujus mentio fit Num. XVIII. 19.
& 2. Paral. XIII:5. non est fœdus æternum, ita di-

Etum juxta Interpretes, quod Sal amicitiae inviolabilis Symbolum fuerit. Novi quidem, sal apud Veteres saepissime pacis & amoris tesseram fuisse, unde hospitibus ante alios cibos sal apposuisse antiquos legimus, quo amicitiae firmitas significaretur, Stuk. Ant. conv. I. 27. Sed ideo tantum amicitiae signum mihi fuisse videtur, quia haec ex mente Veterum praecipuus sanctitatis character erat. Hinc Hierocles: Πέρασ μὲν γὰρ τῶν ἀρετῶν ἡ φιλία, ἀρχὴ δὲ εὐσέβεια, ἡ δὲ τῆς φιλίας ἕξις ὁ τελειότατος τῶν ἀρετῶν καρπός. *Est enim virtutum finis ultimus amicitia, principium autem pietas, amicitiae vero habitus perfectissimus virtutum fructus.* Si praeterea foedus salis perpetuum foedus esset, in utroque loco Tautologia admittenda foret Viris θεοπνεύσοις indigna. Numerorum enim C. 18: 19. vox aeternitatis bis repetita etiam 2 Paral. 13. 5. occurrit. Foedus salis igitur nil aliud est nisi foedus justum & sanctum.

XIII.

Ex his omnibus jam satis superque mihi liquere videtur, Sal apud Veteres Sanctitatis Symbolum fuisse. Cum ergo Salvator discipulis inculcat ὑμεῖς ἔσε τὸ ἅλας τῆς γῆς, hoc vult, ut Sanctitati studeant, totumque terrarum orbem ut Sal terrae doctrina & exemplo ad Sanctitatem adducant, & Christo quasi consecrent. Quod si hoc non fiat, εἰὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ, si ipsi sanctitate aliis profuturi insipidi evadant, virtutemque & sanctimoniam amittant, non fore eos amplius usui ulli in dilatando regno spirituali, sed digni, qui ut inutiles instar salis insipidi abjiciantur, quomodo vero Sal insullum fiat vide Wedelium Exercit. Cent. I. & Voglerum de R. nat. p. 97.

XIV. Nova

XIV.

Nova jam lux oritur dicto aliàs obscurissimo Marci IX. 49. Πᾶς γὰρ πυρὶ ἀλιθῆσαι, καὶ πᾶσα θυσία ἀλὶ ἀλιθῆσαι. Ἐχεθε ἐν ἑαυτοῖς ἄλας, καὶ εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις. Lectionem hic sollicitat Scaliger legendum esse contendens, πᾶσα γὰρ πυρὶ ἀλιθῆσαι, quem refutatum vide apud Zornium Bibl. Ant. Exeg. T. I. 483. Quomodo vero recepta lectio ad commodum & genuinum sensum transferri possit, anceps est Disputatio Eruditorum, quorum diversas Sententias vide apud Wolfium in Curis Phil. T. I. 492. Ita autem hoc dictum explico. *Omnis, qui ignem æternum effugere studet, igne verbi divini, Spiritus Sancti & tribulationum sanctificandus est, quemadmodum omnis oblatio Deo accepta sale sanctificatur. Estote igitur sancti & pacem habete inter vos.* Idem quod Apostolus monet Heb. XII. 14. Ἐιρήνην διώκετε μὲν πάντων, καὶ τὸν ἀγιασμόν. Sic Tautologia, quæ a plurimis, qui salem de unione & amicitia explicant, admittitur probe evitatur. Ita etiam Col. IV. 6. Ὁ λόγος ὑμῶν πάντοτε ἐν χάριτι, ἄλατι, ἠρτυμένος. interpretor: *Sermo vester sit cum gratia conjunctus, & sale conditus, id est justus & sanctus.*

XV.

Ad alterum jam transeo locum Jac. III : 6. ex- tantem : Καὶ ἡ γλῶσσα πῦρ, ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας ἕτως ἡ γλῶσσα καθίσταται ἐν τοῖς μελεσιν ὑμῶν, ἡ σπιλῆσα ὅλον τὸ σῶμα, καὶ φλογίζεσα τὸν τροχὸν τῆς γενέσεως : Est hic locus & verborum arte, & metaphorarum concinnitate & admirabili quadam brevitate vere grandis & sublimis. Omnia enim linguæ vitia noxæque paucissimis quidem, sed gra-

vibus & prægnantibus verbis hic edifferuntur. Sed mire hoc dictum Interpretum ingenia torfit, neque eorum Sagacitas ita huac locum ab omni obscuritate liberare potuit, ut nil amplius difficultatis superfit. Agitur quippe de τροχῶ τῆς γενέσεως, quæ phrasîs, num ex Schola Philosophorum vel ritu quodam antiquo vel aliunde desumpta sit, hæctenus definiri non potuit.

XVI.

In tot Sententias enim Interpretes abiere, ut integra dissertatio recensendis eorum conjecturis fere non sufficiat. Novam addo, quæ si non certa, saltem probabilis dici meretur. Non is tamen sum, qui novos Scriptores semper aliquid certius afferre credat, etsi in tanta conjecturarum turba mea in obscuro sit, vel minus placeat, magnitudine eorum, qui meæ officient, facile me consolabor. Qui aliorum sententias cognoscere cupit, adeat Wolfium C. Ph. T. V. 49. Esse autem hic Metaphoram nec τὸν τροχὸν τῆς γενέσεως ad literam intelligendum, inter omnes convenit Interpretes. Sed unde sit desumpta & quid sibi velit hæc locutio, demonstrare hoc opus, hic labor est. Nimis eruditi mihi videntur, qui ex Scholis Philosophorum hanc dictionem arcessunt. Cum enim ad Judæos Apostolus scribat, in scriptis Gentilium Philosophicis parum versatos, qua ratione mentem ejus assequi potuissent, non video. Eadem etiam difficultas eos urget, qui ex Scriptoribus Græcis vel Anacreonte ut Elsnerus, vel aliis hanc phrasin mutuatam esse sibi falso persuadent. Ut taceam, loca allata huc minime quadrare, nec cum phrasî Apostolica convenire,

venire , quod cuivis ea inspicienti statim patebit. Ludunt ii qui ad rotam fortunæ , ved ad rotam supplicii Apostolum respicere putant. Si autem probavero locutionem hancce ex Sacra Scriptura desumptam esse , abunde omnibus difficultatibus satisfecisse mihi videor.

XVII.

Salomon poeticis locutionibus multisque interfertis metaphoris , senectutis incommoda describens cordi nomen rotæ tribuit : Eccles. XII : 6. ונרוץ הגלגל אל הכור : juxta LXX Interpretes , καὶ συντροχάσῃ ὁ τροχὸς ἐπὶ τὸν λάκκον. Ita autem Gejerus in hunc locum. *Rota accommodari debet ad cor , quod & ipsum continuo movetur , motusque in membris cæteris est principium.* Eadem ratione explicat Coccejus. *Ultimum hoc est , inquit , quod dissolutionem animæ a corpore antecedit , nimirum cordis ut ita dicam , conquassatio & cessatio τῆς συστολῆς καὶ τῆς διαστολῆς.* *Ut enim rota quassa desinit circumagi , ita cor moveri & agitari.* *Ut vero per rotam hydriæ in puteo , ita cordis officio spiritus in homine recipitur , sanguis item ex venis haustus per arterias spargitur , nec figura rotæ dissidet.* *Tantum pro circumactu perpetuam agitationem exaudias.* Sic etiam A. Smith hanc explicationem fufe probat. *Cor quum primum , inquit , & præcipuum sit rotationis instrumentum , apte per rotam significatur.* *Quid enim est rota , nisi instrumentum circulationis , & cujus hieroglyphicum possit esse rota nisi alicujus rei circulariter motæ.* *Id quod adeo perspicuum est , ut omnes interpretes tale quid hic intelligant.* Idem doctrinam de circulatione Sanguinis , quæ hodie merito Harvæana dicitur , prius fuisse Salomonicam ipsique com-

pertam statuit, quod in medio relinquimus. Plura testimonia pro hac explicatione afferre superse-
deo.

XVIII.

ἡ Γένεσις tum in Scriptoribus Sacris tum prophanis vitam significare apud omnes constat. Jamblichus de vita Pythagoræ p. 29. ἐκ τῶν δὲ τοῦς αἰτίας τῆς γενέσεως τοῖς νεωτέροις, vertente Obrechtō, ex his antecellere, qui Junioribus autores vitæ exstiterint. Ita etiam Hierocles. p. m. 298. τὴν ὅλην τῆς γενέσεως ἀποχὴν, abstinentiam ab omnibus rebus hanc vitam spectantibus. Ad quæ Dacierius ita commentatur. C'est à dire, toutes les choses de cette vie. Car c'est le sens que les Pythagoriciens & les autres Philosophes donnoient au mot γένεσις. L'interprete latin s'y est souvent trompé en l'expliquant de l'amour. S'il avoit lû seulement quelques chapitres de Jamblique, qui parle souvent de γένεσις & de γενεσι-
εργὸς μοῖρα il n'auroit pas fait cette faute. Plura vide apud Schwarzium in Com. L. G. qui allatis quibusdam testimoniis ita tandem concludit. Apparet ergo γένεσιν latius patere & poni pro vita e generatione coorta & producenda. Ex his τροχὸν τῆς γενέσεως per rotam vitæ reddi posse luculenter patet.

XIX.

Quam apte autem cor rota vitæ dicatur, probatione non indiget. Est enim sedes & principium vitæ mortalium & propter continuum motum merito nomine rotæ insignitur. Idem confirmat Jamblichus de V. P. 91. Ἡγεμονίαι γὰρ εἰσὶ, καὶ ὡσανεὶ ἐπιβάθραι καὶ ἔδραι τινὲς τῆ ζῆν. Sunt enim, cor scilicet & cerebrum, principium & veluti scalæ ac sedes quædam vitæ. Cor autem tum in S. S. tum
apud

apud Exoticos quid aliud denotat quam affectus & passiones animi? τὰ τῆς καρδίας πάθη, λύπας καὶ ἰργάς καὶ ζήλους ἀτόπας καὶ φόβους, ἐπιθυμίας τε παντοίας καὶ θυμὸς καὶ ὀρέξεις καὶ χαυνώσεις καὶ ὑπτιότητας καὶ σφοδρότητας. *Cordis affectus, tristitiam, iram, emulationes absurdas, timorem, variasque cupiditates, item iracundiam & appetitus animique inflationes & remissiones & vehementias* Jambl. p. 90. Sic Hierocles symbolum pythagoricum μὴ ἐθεῖν τὴν καρδίαν explicat, quod iræ aliisque affectibus non sit indulgendum. Ταρταξικάρδιον apud Aristophanem in Acharn. est omne id quod cor sive affectus animi perturbat. Idem in Nub. ἐκ καρδίας φιλεῖν *omni animi affectu diligere*. Ita etiam καρδία & θυμὸς copulantur apud Homerum & Hesiodum: plura vide apud Buddeum in Com. L. Gr. Eadem vis voci καρδία in SS. tribuitur. E. g. Matth. V. 28. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, ὅτι πᾶς ὁ βλέπων γυναῖκα πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς, ἤδη ἐμοίχευσε αὐτὴν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆ. Matth. XV. 19. Ἐκ γὰρ τῆς καρδίας ἐξέρχονται διαλογισμοὶ πονηροὶ, φόνοι, μοιχεῖαι, πορνεῖαι, κλοπαὶ, ψευδομαρτυρίαι, βλασφημίαι. Rom. I. 24. διὸ καὶ παρέδωκεν αὐτὰς ὁ Θεὸς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν εἰς ἀκαθαρσίαν. &c. φλογίζειν autem uti φλέγειν metaphoricè de inflammatione affectuum & passionum animi apud Auctores usurpari ex Hesychio aliisque constat.

XX.

Mire jam omnia in hoc Apostoli dicto cohæ-
rere mihi videntur, si ita veritas. *Lingua parvum
quidem est membrum, sed magna jactat. Ecce exi-
guus ignis quantam materiam accendit; sic & lingua
ignis est, & instrumentum injustitiæ. Talis est lingua
inter*

inter membra nostra, quæ non solum veneno totum corpus inficit, sed & cor ejusque affectus incendit, adeoque per totum hominem se diffundit. Idem affirmat Auctor Libri Sap. 2: 2. καὶ ὁ λόγος σπινθήρ ἐν κινήσει ἡμῶν. & sermo noster in motu cordis nostri. Quod autem pravus linguæ abusus corpus animumque pernicioso inficiat veneno, & perturbationes animi, iram, metum, odium, amorem, tristitiam, vindictam, invidiam cœterosque affectus facile incendat & concitet, tristesque hac ratione in humana Societate clades edat, historia omnium temporum, & quotidiana experientia testimoniaque scriptorum, qui linguæ vitia noxasque graviter edisseruerunt, abunde confirmant. Consule præ aliis Theophrastum in Charact. IV. & Plutarchum de garrulitate. Breviter omnia complexus est Auctor Libri Sap. I: 2. *Lingua, inquit, perdit animam.*

T A N T U M .

